

P. I. N. J.

OBSERVATIONUM CULARUM  
PHILOLOGICO-CRITICARUM  
IN GENESIN,

AD

EMENDATIONEM  
HODIERNÆ VERSIO-  
NIS SVECANÆ

COMPARATARUM, FASCICULUS I. MVS.

QUEM

*Consens. Ampliff. Ord. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

M<sup>AG.</sup> LAURENTIO O.  
LEFREN,

L. L. O. O. & Græc. Prof. Reg. & Ord.

*Publicæ honorum censuræ subijciet*

HENRICUS MONTIN,

V. D. M.

Die XXX. Martii Anni MDCCLXXIV.

L. H. Q. A. M. S.

---

A B O Æ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

S:æ R:æ M:is

MAGNÆ FIDEI VIRO  
NOBILISSIMO DOMINO,

**D:NO HENRICO  
HASSEL,**

Cancellariæ Regiæ *Consiliario*,  
Regiæ Academiæ Aboensis *Seniori*  
Atqve Eloquentiæ *Profesori* Ordinario,

MÆCENATI OPTIMO;  
VIRO MAXIME REVERENDO  
ATQVE AMPLISSIMO,

**D:NO DOCT. HENRICO  
ALANO,**

Ecclesiarum, quæ Deo in Vehmo & Lokalax colliguntur,  
Pastori, nec non adjacentis districtus  
Præposito meritissimo, vigilantissimo,  
PATRONO OPTIMO,

Patiarini, subniffe rogo, Mæcenates & Patroni optimi,  
dam, has qualescunqve observatiunculas Philologico-  
licitatis adprecatione, consecrem, permanforus dum

NOBILISSIMI,

NEC

MAXIME REVERENDORUM

NOMINUM

*cultor*  
HENRICUS

VIRO

SUMME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO

D. NO D. OCT. JACOBO  
GADOLIN,

Regiæ Academiæ Aboënsis h. t. *Rectori*, S. S. Theolo-  
giæ *Profesori* Reg. & Ordin. Ecclesiæ Fennicæ ad Templ.  
Cathedr. *Pastori* & Reg. Acad. Scient. Holm. *Membro*,

MÆCENATI OPTIMO;

VIRO ADMODUM REVERENDO  
ATQVE AMPLISSIMO

D. NO MAG. ANDREÆ  
LIZELIO,

Ecclesiarium, quæ Deo in Virgo &  
Mietos Colliguntur,

Pastori nec non adjacentis districtus  
Præposito meritissimo, vigilantissimo,

PATRONO OPTIMO,

ut, quæ aliud non habeam, quod vestris beneficiis repen-  
criticas in pignus gratissimi animi, cum omnigenæ fe-  
vixero

MAGNIFICI,

NON

ATQVE AMPLISSIMORUM  
VESTRORUM

*devotissimus*

MONTIN.



## PRAEFATIUNCULA.

**Q**uod tibi, benivole Lector, hic exhibemus Specimen observatiuncularum Philologico-criticarum in primum librum Historiæ Mosæicæ, ad emendationem hodiernæ Interpretationis Svecanæ comparatarum, id ingenue fatemur, adeo & mole parvum & specie destitutum esse, ut nisi nobilitas materiæ, circa quam versatur, pretium adderet, prorsus indignum foret, quod doctorum hominum oculis subjiceretur, in primis cum nihil fere nobis observare licuerit, quod non antea observatum sit vel ab aliis viris doctis, vel ab ipso Preside nostro in iis Speciminibus, quæ ex mandato Sacræ Regiæ Majestatis superiori semestri concinnavit & haud ita pridem doctissimo sodalitiis, cui emendatio hæcenus receptæ translationis vernaculæ Sacrorum Bibliorum commissa est, transmissit. Promum sane fuisset tum plures addere observationes, tum has ipsas luculentius demonstrare, verum cum res angusta, domi vix exiguas impensas fere queat, prolixum propositum intra angustos hos cancellos comprimere necesse habuimus. Has igitur tantillas studii nostri primitias, ut æqui bonique consulas, Te omni verborum honore iterum iterumque rogamus!

OBSERVATIO I.

Ut ab ovo, quod ajunt, incipiamus, primo omnium observamus, verbo אֵרָא recte omnino tributum esse significatum *creandi*; quod supervacaneum fuisset monere, nisi viro cuidam docto, sed audacius quam verecundius Divina oracula tractanti, in mentem venisset comminisci, Sacro Scriptori hic non esse sermonem de *prima rerum productione* ex nihilo, sed de *novella mundi restauratione* vastationem quandam universalem infecuta, verbo nostro non *creandi* sed *excidendi* significationem hoc loco tueri jussit. Duo igitur heic seorsim probanda: Imo verbum אֵרָא re vera *creandi* potestatem habere; 2:do hanc notionem hoc in loco obtinere. Prius ostendunt omnes veteres loci nostri versiones, quas usus vivæ dialecti Arabicæ egregie confirmat; posterius evincit contextus, & nominatim adcuratior pensitatio nominis רָאָה, quod verbo præmittitur. Ineptus certe sensus evaderet, si Moses dixisse fingeretur: in principio destruxit DEUS coelos & terram; vel: cum DEUS statim initio destruxisset coelos & terram, tunc terra erat vastitas &c.

OBSERVATIO II.

Circa voces אֵרָא וְרָאָה הָאָרֶץ, quæ primum versum claudunt, hoc observamus, quod non *indefinite*: Himmel och Jord, ut vetus interpres habet, sed *definite*: Himmelen och Jorden transferri debeant. Quamvis enim hæc emendatio tam exigui pretii esse videatur, ut vix digna haberi possit, quæ observetur, aliquid tamen in recessu habet, quod rudiores saltem lectores, si quos offenderit, didicisse non poeniteat. Proxima

caussa hujus emendationis ex eo petenda, quod utriusque voci præfixum est  $\eta$  *demonstrativum* cujus officium est *rem definitam* listere. Huic alia subest causa, quam vel maxime in apicium produxisse juvabit. Quantum enim nobis mentem Sacri Scriptoris perspicere licuit, sine dubio ipsi propositum fuit, hoc tanquam indice, manifesto ostendere, corpora mundi totalia statim initio *discreta* atque *disjuncta* fuisse, adeo ut terra, quam ab *humilitate* denominat, cum adhuc in statu *nuditatis* ac *vastitatis*, quem commate sequente describit, deprehenderetur, suum jam locum occupasset, quo *distincta* & *sejuncta* esset a cœlestibus corporibus, quæ  $\text{דבש}$ , *sublimia*, vocat. Ex quo prono quasi alveo fluit, commenta *chaotica*, quæ in Scriptis veterum occurrant, pura putata esse somnia, quæ in verbis Mosis nihil plane habent, quo se tueri possint.

### OBSERVATIO III.

Ad secundum properantibus versiculum in ipso statim limine occurrunt vocabula  $\text{תהו ובהו}$ , quibus multo plus emphaseos inesse arbitramur, quam quod Sæcæna nomina adjectiva  $\text{דהו}$  et  $\text{תהו}$ , sine addito, exhaurire valeant. Nostro enim judicio rectius reddideris: *aldeles*  $\text{דהו}$  et  $\text{תהו}$ . Miraberis forte, cur a nobis adjectum fuerit adverbium *aldeles*, cum ejus ne minimum quidem vestigium in Textu Hebræo adpareat, sed mirari desines, ubi veram adjecti causam cognoveris. Sic igitur habeto: quoties in Lingva Hebræa aut *termini abstracti* pro concretis adhibentur, aut duo *termini synonymi* conjunguntur, tates *gradus* quidam *superlativus* insinuat, dummodo materia substrata id patitur. Iam vero in his vocibus utraqve hæc conditio lo-

cum habet, quandoquidem nomina sunt substantiva & ambæ radices כחה atque תחה significationem inanitatis habent. Dubium ergo non est, quin verbis Latinis recte transferantur vastissima & inanissima. Cumque Svecanæ voculæ superlativum commode non admittant, in confesso est, hunc defectum aliquo modo compensari debere, quod vix rectius fieri poterit, quam si particulam *aldeles* adjeceris. Hunc vero tum statum terræ fuisse, tum sensum esse harum vocum, ipse docet Moses Cap. II. com. 5. ubi illam initio & vegetabilium & animalium penitus orbam pingit.

#### OBSERVATIO IV.

Quæ in hoc eodem commate sequuntur voces חשך וצלה non novam constituunt *propositionem*, sed aliud tantum *predicatum* ipsius terræ, quæ subjectum constituit. Has si ad litteram transtuleris, nostra lingua sic sonabunt: Och et mörker öfver ytan på et haf. Quum vero nullum doctrinæ gustum haberet, cui tam litteralis & servilis saperet translatio, facile quisque largietur, rectius nos facere, si eas, ad exemplum ill J. D. Michaëlis, paulo liberius atque sapidius sic transferamus: och et med mörker betäckt haf. Ne vero tantum heroa litterarium cæco impetu secuti videremur, duabus in rebus ab eo discessimus. Nam quod ille (Se) lacum, id nos (Haf) pelagum transtulimus, & quod ille sibi gratis dari postulavit rei evidentia fretus, id nos certo rationum præsidio muniendum duximus. Interea non negamus, quin voces haf & sjö, utpote termini synonymi, idem valere possint. Tota quæstio in notione vocis חמה vertitur. Hæc neque *formaliter*, neque *materialiter* (djup) abyssum valet. Non *formaliter*, quia radix חמה non *profundum*,

sed *attonitum esse* significat; non materialiter, quia ubi-  
 cunque in Sacris Litteris occurrit, rectius ad *pontum*,  
 quam ad *abyssum* refertur. Ad prius quod adinet, no-  
 tionem puta formalem, nescio an quidquam mari *hor-  
 rendius* dici possit, præsertim cum sævis ventis fervet  
 & furit. Huc accidit, quod verbum in Lingva Arabi-  
 ca etiam de mari astu fervente adhiberi solet. Quod  
 vero ad usum adinet Biblicum, qui notionem vocis  
 materialem determinat, vel ex hoc ipso commate con-  
 stat, quod is nostro adferro faveat. Nam quod in pri-  
 ori membro מַיִם דִּי הַיָּם dicitur, id in posteriori nomine הַיָּם  
 (*aquarum*) venit. Capite vero 7: commate 11. תַּהִיִּם רַבָּה,  
*mare magnum*, significat oceanum, & Jobi 28: 4. &  
 Pl. 33: 7. quod in uno hemistichio תַּהִיִּם, id in alte-  
 ro יָם, *mare*, adpellatur. Quod vero vocem hanc  
 Svethice non שֵׁם, sed הַף transtulimus, id hanc habet  
 rationem, quod *tota terra aquis mersa* fuit. Ex verbis  
 certe Moysi aliud colligi non potest.

#### OBSERVATIO V.

Adhuc restant ex hoc commate voces מַיִם אֲדָמָה  
 & מַיִם חַיִּים. Quæ quamvis adeo vagæ & dubiæ sint in-  
 terpretationis, ut modestiæ fines transire videremur,  
 si eas ad fixam & certam redigere significationem no-  
 stri iudicii esse existimaremus, hoc tamen non obstat,  
 quominus, quæ nobis maxime probabilis videatur in-  
 terpretatio, modestè significemus. Quæ omnium pri-  
 mo se nobis insinuabat versio, ea huc redibat: och et  
 Guds nåd r fläckade öfver thetta vatnet idfeligen; re vero  
 maturius expensa, hanc missam fecimus & aliam in e-  
 jus locum adoptavimus, quæ sic habet: Men Guds Ån-  
 de sänkte sig ned öfver thetta vatnet. Nisi Divinæ Maje-  
 stati



stati convenientiorem judicasset interpretationem, quæ DEUM e sublimi in humile se demittentem pingeret, paulo simplicius: Eade sig öfwer, vel: båd sig ned öfwer thetta wätnet, transferre potuisset. Quantum igitur nos judicare possumus, amborum commatum tucissima translatio hæc erit: I begynnelsen skapade Gud himmelen och jorden. Då war jorden aldeles öde och tom, och ett med mörker betäckt haf; Men Guds Ande sänkte sig ned öfwer thetta wätnet. Variæ notiones litteræ ׀, quæ hic conspiciuntur, multis exemplis demonstratæ sunt in Concordantiis Noldianis, ad quas lectores brevitatis causa remittimus.

### OBSERVATIO VI.

Sequentis commatis tertiæ adeo vera & bona est versio, quam vetus dedit interpres, ut nulla profus emendatione egeat. Ubi vero ad versum progredimur quartum, multo aliter pronuntiandum est. Hujus enim versionem neque *puram*, neque *veram* per omnia esse, invenimus. Puritati quidem officit, quod interpres, invito genio lingvæ vernaculæ, nimis serviliter inhæret vocibus & phrasibus, quas textus Hebræus habet, veritati autem hoc obstat, quod voci ׀׀ alium plane sensum tribuit, quam contextus postulat. Huc accedit, quod, puncto in medio commatis collocato, ex una duas formavit propositiones contra *leges accentuationis*, quas migrare non licet, nisi cum locum in mendo cubare constet. His incommodis medelam adlaturi totum versum hoc modo transferendum judicamus: Och som Gud såg, at ljuset war godt, så tildelte han ljuset och mörkret särskildt utrymm. Hanc versionem & veram & bonam esse, facile intelligit qui animum ad sequentes observationes advertere voler. Primum quidem particulam *van*

aliter in priori & aliter in posteriori membro reddidimus; non quod pruritu novandi laboravimus, sed quod hanc interpretationem tum usui voculae, tum indoli formulae convenire perspeximus, tenorem accentuum temere deferere nolentes. Deinde eatenus recte fecimus, quod loco nominis *God* pronomen *Zan* posuimus, quatenus idem nomen prope praecedat, nec linguae Svecanae convenit toties repetere nomina, quoties id in lingua Hebraea usu venit. Praeterea, cum ordo vocum *הוור כי* *ו* *ו* nullam emphasin involvat, nihil nobis obstare visum, quominus eum ordinem, quam nostra lingua postulat, sequeremur. Tandem vero quod ad vocem *בין* attinet, ea in se nomen est, & vi originis spatium distinctum significat. & si vel maxime spatium simpliciter & sine addito valeret, hoc tamen loco vel ideo addi deberet adjectivum distinctum, (särfsildt,) quod vox *בין* bis occurrit in textu, & vox utrymne, si eam ob causam bis poneretur in versione, eum omnino sensum funderet. Huc accedit quod loci contextus, ad quem maxime attendi meretur, & ipsa rei natura postulat, ut lector e verbis versionis discere possit, hac formula non essentialem, sed accidentalem lucis & caliginis distinctionem indigitari. Nostro certe iudicio, non hic sensus est verborum Mosis, fecisse DEUM, ut lux & caligo non confusae, sed distinctae res essent, sed constituisse, ut altera hoc, altera aliud successive hemisphaerium occuparet.

## OBSERVATIO VII.

Ad versum progredientibus quintum duae occurrunt formulae, quarum & nexus & sensus aliquid habet, quod observatione dignum videtur. Prior haec est *ויקרא* *אלהים לאור יום ונחשך קרא ליום*. Hic nomen

וַיִּבְרָא וי Hebraismi, quem obs: VI. observavimus, locum tenet pronominis; quare a veteri interprete profusus omissum est, idque non sine causa. Quod ad versionem adinet, adeo presse litteram ea sequitur, ut nulli emendationi locum relinquat. Interim tamen facile quisque videt, neque ipsi luci diei neque ipsis tenebris noctis nomen inditum fuisse, sed hunc esse sensum verborum, lucidum spatium diei & obscurum intervallum noctis adpellatione insignitum esse. Quod vero sic scripsit Moses, ut potius causam, quam effectum indigitasse videretur, id rationem sui sufficientem habet in genio Lingvæ Hebrææ, quæ cum ditior substantivorum, quam adjectivorum sit, suum aliquod solenne facit, cum terminis abstractis pro concretis utitur. Quamvis igitur, nostro quidem iudicio, non peccaret, qui sic transferret: och kallade thet ljusa dag och thet mörcka natt, tutius tamen retineri putamus quod vetus habet: Och kallade ljuset dag och mörkret natt. De altera formula ויהי ערב ויהי בקר ויהי אור multo aliter sentimus. Hujus enim versionem hunc in modum emendandam iudicamus: Och således hade thet varit både aften och morgon en dag. Plura hic mutavimus. Singulorum ratio reddenda. Primum quidem quod ad litteram *vau* in verbo ויהי actinet, ea sæpissime idem, quod Latinorum *atque ita* & Svecorum och således, valet. Exemplorum assatim adducere possemus, nisi festinatio prohiberet & otium nobis fecisset diligentissimus Doctor CHR. NOLDIUS Concord. Partic. num. 61, ad quem Lectores brevitatis causa remittimus. Deinde quod ipsum verbum ויהי in plusquamperfecto expressimus, id partim usus lingvæ permittit, partim res ipsa postulat. Nec est quod quis suspicetur, hoc tantum de præterito proprie dicto, de futuro vero converfo non item valere, ut pro ratione circumstantiarum nunc

imperfectum, nunc perfectum, nunc plusquamperfectum ex-  
 primat, cum infinitus exemplorum numerus contrarium do-  
 ceat. Nos paucis contenti erimus. Huc pertinent sequentia:  
 ויסקלו Jos. 7: 25. ואתנה Neh. 2: 6. וילמד Ezech. 19:  
 3. וירד Pr. 30: 4. ויבקעו Ex. 14: 21. ומה Jud. 4: 1. ושה  
 Gen. 1: 31. ויכל Cap. 2: 2 ואתהפך 1 Sam. 13: 12. ויכה  
 2. Reg. 2: 14. ויכתב Jer. 51: 60. Præterea quod no-  
 men אחר non *primum*, (*första*) sed *unum* (*en*) reddidimus,  
 id nulla eget excusatione, cum propriam vocis significatio-  
 nem retinuerimus. Interea si quis *primum* (*första*) red-  
 dere malit, nos magnopere repugnantes non habebit.  
 De nexu utriusque formulæ hoc tantum observamus,  
 verba, quæ commatibus 13. 19. & 23 diversum &  
 distinctum constituunt Pasukum, hic nexum colere cum  
 antecedentibus, quamvis ejus rei causam assequi ne-  
 queamus, nisi forte locum habere posset suspicio, hanc  
 formulam ubique locorum hujus capituli primitus di-  
 stinctum constituisse versiculum, sed postea factum fuisse  
 imperitia librariorum, ut Sillukus ter inepto poneretur  
 loco, quod tamen nobis adserere non licet, quia hac in  
 re nullam variantem lectionem vidimus. Pronum jam  
 esset ad reliqua progredi commata, ad eaque, quæ ha-  
 beamus, observare, sed quoniam id prohibet res angus-  
 ta domi, his paucis lectores ut contenti sint, quo docet  
 studio & officio rogamus, præsertim cum ea hoc fasci-  
 culo, quæ ad opus creationis primi diei spectant,  
 absolverimus.

